

Handwritten text on the spine of the book, including the title "Die Geschichte der Stadt Magdeburg" and the author "von Johann Samuel Ersch".







[Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side]

[Small handwritten mark or characters]



34 A 7341

AK



Disquisitio Mathematica
De
CALENDARIO GRE-
GORIANO,

Ob justas causas à Statibus Protest. Rom.
Imp. repudiato.

Nonnullisque controversijs Mathematicis.

Quam

DEO Duce, ac Præside

Viro Excellentiss. & Clarissimo,

M. CHRISTOPHORO NOTTNAGELIO,

Mathem. Superior. Profess. Publ.

Præceptore ac Promotore suo
semper colendo.

Proponit ad diem 2. Martij

in Auditor. Major. horis matutinis.

HENRICUS ENGENHAGEN
Lubecensis.

WITTEBERGÆ,

Typis AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.

Anno MDCXXXVII.



V I R I S

*Magnifico, admodum Reverendis, Amplis-
simis, Excellentissimis, Clarissimis.*

Dn. WILHELMO LYSERO,

S. S. Theolog. Doct. ejusdem Professori Publ.
& p. t. Academ. Rectori Magnif.

Dn. M. ERASMO SCHMIDT, Ling. Græc.
& Mathemat. Profess. Publ.

Dn. JACOBO WELLERO, S. S. Theol. D.
& Profess. Extraord. ac Orient. Ling. Prof.
Ordinar.

NEC NON

Clariss. Exim. ac Doctiss.

Dn. M. MARTINO CASELIO.

Dn. M. JOHANNI OLEARIO.

Dn. M. MICHAELI SCHNEIDERO.

} Amplif Fac.
} Philof. Ad-
} junctis.




*Dnm. Patronis, Fautoribus, Præcepto-
ribus, Promotoribus suis omni hos-
noris, gratitudinis, & observantia
cultu prosequendis, γύμνασια hoc
Mathematico-Politicum offerre*

D. D. C.

Henricus Engenhagen Lubec.
Aut. & Resp.

Prooemium.



Antiquitatis monumenta (vid. Christ. Clav. in Proleg. comment. in element. Eucl. g. 4. fac. b.) testantur, Magnum illum Philosophum suae Academia fores hac sententia ornasse:

Ἄγεωμέτερος εἰσὶν αἱ πόλεις.

Nemo imperitus Geometriae intret.

Quo sanè eloquio honestissimo Vir ille summus Geometriae utilitatem in excolendis, & perpoliendis ingeniis nobis voluit ante oculos ponere. Quod, ut de Geometria verum est, ita & de ceteris Mathematicis partibus summo jure poterit pronuciari. Nam tanta harum, non solum in disciplinis ceteris Philosophicis, verum etiam in ipsis superioribus Facultatibus, Medicina, Jurisprudencia, & imprimis Theologia, (vid. Ludov. de Diev. in method. Theol. Hortens. in orat. de dignitate & utilitate Matthes. Clav. d. l. p. G. 4.) sese ostendit utilitas, ut merito teste Platone absq; illis viles esse videantur. Quo circa opera pretium esse arbitror, unam atque alteram controversiam ex Mathematicis partibus examinare: Verùm, cum magna sit harum copia unicam illam praecipuè controversiam de CALENDARIO Gregoriano à Politicis, ac Mathematicis satis excussam, breviter pro ingenij tenuitate considerabimus.

APHORISMUS I.

Calendarium Romanum à variis varias sæpè emendationes sustinuit.

A 2

Ex Jctis

Quid sit Calendarium multis exponere vix opus est, cum
 fermè in omnium manibus Calendaria reperiantur. Descen-
 dit hæc vox à Calendis, quæ sunt primi dies mensium, ut ca-
 lendæ Februarij, Martij &c. ac à verbo *καλέω* voco originem
 sumunt: siquidem primo mensium die populus convocaba-
 tur, & quæ feriæ toto mense essent futurae, quidque in religio-
 ne peragendum, significabatur, uti ex plurimis Autoribus Var-
 rone, Gyrardo, & Macrobio deducit Clarissimus *Herlicius* In
 gründlicher Widerlegung vnd refutation des neuen Päpst-
 schen Calenders p. 5. Alias vocatur Almanach vocabulo Ara-
 bico, ab Ebræa voce *אמנא* numeravit. Vid. Origan. in Ephe-
 merid. Part. 1. p. 1. Ut autem omnes fermè Populi singularem
 anni formam, ita & singularem tempora disponendi rationem
 sibi elegerunt, quæ ut Romanorum procul dubio à doctis vi-
 ris indices magis magisque correctæ, auctæ, & emendata fuit: ita
 ut longum foret hæc omnia ordinere recensere. Igitur solum
 Calendarium Romanum quod attinet, multas omni seculo
 habuit emendationes. § 2.

Nam primum Romanum Calendarium dictum fuit
 Romulinum, à Romulo constitutum, constans diebus 300
 seu mensibus 10, quorum singulus 30 dies habebat, ut ex di-
 visione patet: Nam si 300 per 30 dividantur nihil rema-
 nebit. Additi sunt tamen deinde dies 4. ita ut totius anni
 summa continebat dies 304. De quo ita Clariss. *Herlicius* d. l.
 p. 15. ait: Romulus der erste König zu Rom / von dem die
 Stadt Rom erbawet ist / hat ein andere Jahrordnung ange-
 richt / vnd das Jahr angefangen vom æquinoctio Verno, wann
 Tag vnd Nacht gleich sein / die 12. menses Lunares hatt er ab-
 geschaffet / vnd 10 Civiles angeordnet / darunter Martius der
 erste genant: & paulo post, vnd hat sich an den Schalt Jahr
 richts gefehret / damit solch sein Jahr mit dem Egyptischen
 ein gewisse proportio vnd abtheilung hette / 300. Tage wa-
 ren im Jahr / ein jeglicher Monat hat 30 Tage / hernacher ha-
 ben die alten Römer noch 4. Tag darzu gerhan.

Succesfit huic Calendario Pompilianum Numæ à Rege Romanorum Numa elaboratum, qui has Romulini Calendarij incommoditates videns, duos adhuc menses addidit; Januarium scilicet & Februarium, ita ut totus annus constaret mensibus 12. Diebus verò 354, additis videlicet priori Calendario 50 diebus, ita ut integer esset annus lunaris, de qua Numæ Pompilij correctione ita Ovidius l. 1. Fastor. scribit:

*At Numa nec Janum nec avitas præterit umbras,
mensibus antiquis addidit ille duos.*

Et Titus Livius Dec. 1. lib. 1. *Omniū, inquit, primus ad cursum luna in 12 menses describit annum.* Additæ sunt deinde aliæ duæ correctiones: Prima ipsius Numæ, altera Decemvirorum: Verum cum hæ non tam celebres sint, nihil amplius de ijs dicemus, videat. *Gigas in Cosm. cap. 14. probl. 2. p. m. 97.*

Cum igitur Numa annum lunarem, solari posthabito, instituerit, non potuerunt non sequi varia incommoda atque gravissima, quæ inde magis magisque creverunt, donec tandem aliquando Administrator Romanæ Reipublicæ constitutus fuerit Julius Cæsar, non Martis solum, sed & Minervæ discipulus, qui devictis fortissimis hostibus, pacemque quodammodo restituta, commotus temporum inverso ordine (videbat n. nec æquinoctia, nec solstitia justo loco esse posita, Festa quoque plurima incommodo tempore celebrari) ad hanc curam animum suum adjunxit. Nam convocatis Clarissimis tunc temporis Mathematicis, imprimis Soligene, & Juba, cum iis de tempore reformando consilium iniit, & quia anni lunaris incommoditas omnium oculis obversabatur, solarem anni formam instituit: cujus quantitas erat 365 diernum & 6. horarum, quæ singulis quatuor annis collectæ, viginti quatuor horas, id est, unum diem conficiunt, dictum intercalarem germanis *Schaljahr* vel *Schaljahr*

Schaliahrt (videat. *Reckermann*. in *Astro*. p. 189.) Verum Julio Cæsare immatura morte prærepto, autores, quibus cura temporis imposta erat, hanc intercalandi rationem quamvis facilem neglexerunt, & ubi anno quarto completo, seu quinto currente, unus dies esset interserendus, illi anno 4. currente unum diem interposuere; ita ut nec hoc Julianum Calendarium ob errore omni immune fuerit, sed negligentia illorum, quibus cura temporum incumberebat, majora vitia contraxerit: quod dum Augustus anno regiminis 35 senserit, 12 dies esse intercalatos, ubi tantum novem, essent interjiciendi (quod patet ex divisione nam si 36 anni per 4 dividantur non 12 sed 9 dies proveniunt) hoc vitium sedulo correxit: Pro quo Augusti beneficio mensis à Martio Sextilis in honorem Augusti Augustus appellatus, sicut à Martio Quintilis, in honorem Julij Julius nominatus. Hæc igitur anni forma per plurima secula permansit, donec etiam ob justo majorem anni quantitatem positam, temporis longævitate sua vitia rursus absumsit.

§. 5.

Rebus igitur sic stantibus, omni tempore DEUS talia ingenia excitavit, quæ hanc provinciam de emendatione temporum non derelictarunt. Nam anno Christi 415. Concilium celebratum est Cōstantiæ, regnante Sigismundo Imperatore, & Johanne Pontifice Romano XXIV. vel XXIII. ubi graviter hæc quæstio fuit agitata, tum à plurimis aliis, tum præcipue à Petro de Aliaco. Rursus 1439. Romano Pontifice Eugenio IV. in Concilio Basiliensi eodem modo acriter de hac materia disputatum, & nisi discordia Episcoporum in modo corrigendi intervenisset, res felicem exitum attigisset. Deinceps 1476. à Pontifice Sixto IV. hoc munus assumptum, & nisi Nobilissimus Mathematicus Regiomontanus expirasset, ad finem forsân fuisset perductum. Iterum Maximilianus Imperator anno 1516. priorum vestigia secutus, missis ad plurimas Germaniæ Academiæ literis à viris doctis judicium exploravit. Verum res in eo statu, in quo fuit, permansit.

§. 6. Ac.

§. 6.

Accedimus ad Concilium Tridentinum, ubi iterum hæc eura, sed absque felici successu, suscepta. Tandem igitur Gregorio XIII. Romano Pontifice nova illa forma, de qua jam potissimum agimus, introducta: Anno 1582. indictione 10, die Jovis, prima mensis Martij, Pontificatus verò Gregorij XIII. anno 10, autore Aloysio Lilio, ut patet ex Diplomate Pontificis Vid. Steph. de jurisdictione lib. 3. part. 1. cap. 3.

Causas mutati Calendarij ipse Pontifex in Diplomate jam citato exponit, & Calvisius in Elencho Calendarij Gregorij c. 3. duas potissimum ex illo causas proponit. *Prima, quod æquinoctiū in anteriores dies promotum fuisset*: an verò propter hanc æquinoctij anticipationem dies decem ex Calendario ejiciendi, meritò cum jam citato Calvisio aliis judicandū relinquo. *Secunda erant termini paschales sede sua mori*: an verò per hanc Calendarij reformationem (deformationem dico?) Pascha cum omnibus terminis à Concilio Nicano propositis conveniat, meritò negatur. Formam hujus Calendarij alij plurimis verbis descripserunt: breviter sic dicimus. 1. 10 dies ex Mense Octobri à quarto ad decimum. quintum esse abjectos, ita ut cum numerandus esset dies 5 Octobris, numeratus fuerit 15. 2. Quatuor seculis 3. dies rejectos. 3. Novas Epactas positas. Et hæc de varia emendatione Calendarij Romani sufficient, progredimur igitur ulterius, & quid de hac Gregorij Calendarij correctione judicandum sit exponemus.

APHORISMUS II.

Calendarium Gregorianum seu Lilianum ob justas causas Mathematicas à Statibus Protestantium Rom. Imp. repudiatum.

ἐπιγραφὴ §. 1.

Si hujus Aphorismi probationes omnes in medium essent proferendi, quantum excresceret hæc probatio! ita ut non tantum disputatio, sed totum systema esset conscribendum;

dum; Brevibus igitur nos absolvemus, & accuratiora doctorum Virorum contra hoc Calendarium scripta in fine hujus Aphorismi annotabimus. Non possum autem hic silentio præterire illam contradictionem Papisticam, quæ de hujus Calendarij perfectione occurrit. Nam Gregorius XIII. in Diplomate suo satis hisce prægnantibus verbis hoc suum Calendarium describit: Allatus, inquit, est nobis liber à dilecto Filio Antonio Lilio artium & Medicinæ Doctore, quem quondam Aloysius ejus germanus frater conscripserat, in quo per novum quendam Epactarum Cyclum ab eo excogitatum, & ad certam ipsius aurei numeri normam directum, atque ad quamcunque anni solaris magnitudinem accommodatum. OMNIA QUÆ IN CALENDARIO COLLAPSA SUNT CONSTANTI RATIONE, ET SECULIS OMNIBUS DURATURA SIC RESTITUI POSSE OSTENDIT, UT CALENDARIUM IPSUM NULLI UNQUAM MUTATIONI IN POSTERUM EXPOSITUM ESSE VIDEATUR. Hactenus Pontifex.

§. 2.

Nos verò sic argumentamur:

Quicumque ipsi agnoscunt multos esse in hoc Calendario errores, illi non perfectum, & nullis mutationibus obnoxium Calendarium proponunt:

Sed Pontificij ipsi agnoscunt multos esse in hoc Calendario errores. Ergo non perfectum & nullis mutationibus obnoxium Calendarium proponunt.

Majorem sic probamus, quia perfectum est illud, cui nihil deest ad suam, quæ ei debeat integritatem. (videatur Scharfius in Theol. Transcend. disp. 18. pag. 959.) Jam verò Calendarium hoc non est tale. Ergo. Minorem confirmamus testimonijs ipsorum Pontificiorum: (1) Ipsius *Jobannis Marie de Tholosanis*, qui libro de emendatione Calendarij ad concilium Tridentinum scripto cap. 3. sic ait: modus ille difficilis est, & gignit perturbationem magnam & dissidium in Ecclesia. 2. *Jobannis Antony Magini*, qui fatetur Gregorij Pontificis

tificis

ificis correctores anno 1598 in Paschate celebrando errasse.
3. *Johan. Rasch Viennensis* aperte pronunciantis, in libro, quem
de hac materia 1586 publicæ luci commisit, Epactas non esse
legitimas, sed sæpe errasse. 4. *Doctoris Johannis Latosa* hanc
ipsam correctionem Gregorianam contra Clavium refutan-
tis: Et quid opus est, plura adducere testimonia, ipse, qui se
primarium Autorem vocat, *Clavius in defensione Antonij Pos-*
sevini contra Mæstlinum sic ait: *Si Calendarium Gregoria-*
num denuo oppugnare vis, atq; evertere, demonstrandum tibi erit,
in eo alios errores præter 4. reperiri: & Herlicius p. 86. ex eo
adducit hoc testimonium. *Cyclum lunarem esse imperfectum,*
ac ideo Pascha interdum luna 14. celebrari ab Ecclesia, & alio in
loco, æquationem anni Solaris non firmam esse factam, confi-
setur. Cum igitur ipsos Pontificios hujus Calendarij imper-
fectionis confessores habeamus, quid opus est pluribus, atta-
men ex abundantia quasdam rationes Mathematicas produ-
cemus.

§. 3.

Sit igitur *Argumentum* 1.

Quodcumq; Calendarium ex tabulis motui cælesti exacte
non respondentibus compositum est, illud Calendarium
merito rejicitur.

Sed Calendarium Gregorianum est tale. Ergo.

Majoris consequentia firma: nam si fundamentum su-
per quod ædificium extruitur labile est, quid de ipso ædificio
dicemus?

Minorem (videlicet *Calendarium Gregorianum ex tabu-*
lis motui cælesti exacte non respondentibus compositum esse,) sic
cõfirmat *Tobias Mollerus* in der gründlichen Wiederlegung des
Neuen Calenders/ an alle Potentaten des heiligen Römischen
Reichs: Es ist aber nunmehr hierauff zu erst diese ihre vber-
schickte *restitution* deshalb vngegründet / vnkräftig / vnd
darzu ganz schädlich / das die *Canones motuum*, darinnen ganz
nicht betrachtet / vnd dennoch wieder neue *constituirte tabulas*
Astronomicas, noch neue *corrigirte Ephemerides* dargelegt / oder

B

zu vorn

subornaverunt & dederunt. Sic & *Mastlinus* in alicuius exa-
 mino hujus Calendarij pag. 4. ait: Hic mox omnium primo
 quaritur, ex quibus tabulis astronomicis novi Calendarij reforma-
 tio prodierit? Ipse enim sola sunt fundamentum ejus. At eas ipsas
 oportet perfectissimas esse, & cum caelo exquisitissime congruentes,
 quandoquidem ex iis confectum est CALENDARIUM PER-
 PETUUM, AC OMNIBUS SECULIS duraturum, ut *Pon-
 tificex* ait. Ad hoc respondeo: Autorem usum fuisse Tabulis *Pru-
 renicis*, (quod hinc inde fatetur) Nam ipsum nullas novas motuum
 tabulas, ex recentissimis propriis observationibus fideliter extru-
 ctas, quibus veterum tabularum imperfectio reficeretur, ad ma-
 nus habuisse, evidentissime tam suo, quam aliorum alio silentio
 demonstratur. Idem consentitur *Herlicius* & *Calvisius*.

Secunda ratio hæc est, quod dies 10 illegitimè ex Ca-
 lendario exempti sint: idque sic demonstrato, leges hujus Ca-
 lendarij requirunt, ut spatio 400 annorum 3. dies negligantur.
 Qua lege præsupposita sic argumentor:
 Si singulis quatuor seculis tantum 3 dies sunt eximendi, se-
 quitur spatio 12 seculorum non decem, sed novem esse
 eximendos. Sed singulis quatuor seculis ex confessio-
 ne pontificiorum 5. Ergo.

Majoris consequentia consistit in illa regula proportionum,
 ut se habent 4. ad 12. sic 3. ad 9. vel dilucidius cum *Calvisio* sic
 propono: Fac Calendarij hujus formam statim à Concilio Ni-
 cæno adhibitam fuisse, quod celebratum est anno 325. tunc in an-
 no 400 dies non fuisset exemptus. Ergo 500. 1. dies. 600. 2. dies.
 700. 3. d. 800. 0. d. 900. 4. d. 1000. 5. d. 1100. 6. d. 1200. 0. d.
 1300. 7. d. 1400. 8. d. 1500. 9. 1600. 0. ut ex tabella subjecta
 apparet.

Anno	400	500	600	700	800	900	1000	1100	1200	1300	1400	1500	1600
Christi													
Dies Excep.	0	1	2	3	0	4							
	1000	1100	1200	1300	1400	1500	1600						
	5	6	0	7	8	9							

Hocce

Hocce nimirum Calendarium quis perfectum arbitrabitur, quod in antecedentia tempora deduci non potest.

S. 3.

Tertia ratio hæc est, quod in hoc Calendario detur intricata ratio inveniendi Literam Dominicalem. Quid sit Litera Dominicalis alias notum est, jam de modo inveniendi hic quaritur. Si juxta Calendarium Julianam esset procedendum, litera dominicalis facile reperiri posset, hoc videlicet modo, requiritur enim tantum cognitio quantitatis Cycli Solaris, (Cyclus autem Solaris nihil aliud est, quam periodica resolutio 28 annorum, quibus omnium literarum Dominicalium varietas absolvitur) quæ hoc modo invenitur. Primò addatur anno à Christi nativitate novenarius: Secundò summa collecta per integrum Cyclum, id est, 28 annos dividatur, residuum indicabit numerum Cycli, quo cognito ex tabella adjecta, facile Litera Dominicalis invenitur. Exempli gratia, si quis scire vellet anno 1611. quæ fuisset Litera Dominicalis, ille quærat Cyclum Solarem hoc modo, annis videlicet 1611. addat 9. & fient 1620, hunc numerum, dividat per 28 & residuum erit 24.

2
 2 8
 6 2 4
 2 6 2 0 (57
 2 8 8
 2

Cum hoc numero ingredi sequentem tabellam, & invenies Literam Dominicalem F.

<i>Num. Cy- cli Sol:</i>	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
<i>Lic. Dom.</i>	G				B				D				F	
	F	E	D	C	A	G	F	E	C	B	A	G	E	D
<i>Num. Cy- cli Sol:</i>	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
<i>Lic. Dom.</i>	C	B	G	F	E	D	B	A	G	F	D	C	B	A

Videt, igitur quilibet, hanc rationem invenienti literam
Dominicalem esse facilimam. Contra in Calendario Grego-
riano longe difficilior ratio est: nam licet ibi retineatur Cy-
clus solaris, tamé una tabella, ex qua litera dominicalis desumi-
tur retineri non potest, sed singulis centurijs novas literas do-
minicales excogitarunt, in quibus explicandis, & describen-
dis ipse Clavius multum temporis & charta consumsit. Sed
nostrum non est ea latius explicare. Videatur Calviusus p. G.
§. 6.

Quarta ratio haec est, quod æquinoctium numerent, non
juxta motum verum, sed juxta modum medianum, de quo ta-
men quid sentiendum sit, Mastlinus pag. 16. his verbis expli-
cat: Non minus ridiculum est, quod Calendarij hujus auto-
res, quos Mathematicos esse convenit, motum seu anticipa-
tionem æquinoctij Veri, non aliter, quam ut motum medi-
um computant. Hoc ergo cum Autores Calendarij non per-
penderint, prostruunt se egregie deridendos, quod in ijs hal-
lucinantur, quæ cuivis ex Astronomiæ tyronibus nota esse
convenit. Non dicam jam quod Æquinoctium sit illegitime
ad 21. diem Martij reductum, cum tempore Concilij Nicæni
(quod tamen sequuntur) 20. die fuerit. Non dicam quod
correctio a tempore Synodi Nicænæ sumpta, ubi tamen à
Christi Nativitate inchoanda fuisset.

§. 7.
Quinta ratio haec est, quod in Paschate celebrando sapissi-
me erret, & in regulas Concilij Nicæni de Paschate celebra-
do sapissime incurrat. Notum enim est, eum saepe celebraffe
Pascha cum Hæreticis Quarta decimanis, imò cum ipsis Ju-
dæis. ut anno 1609 1622. & in alijs annis quamplurimis, ut
deducit Calviusus cap. 19. Et quis potest omnia vitia detegere,
quæ hic occurrunt. consulatur Herlicius, Calviusus, Mastlinus,
Mollerus, Abrahamus Kockenbach in expositione Calendarij Gre-
goriani, Clariss. Erasmus Schindl Præceptor meus honorandus
in Oratione 1629. hic publicè de hac materia habita, Büntin-
gus in Thesibus suis de Anni Juliani elegantia, & Calendarij
Gregoriani inconveniencia, quæ citantur ab Herlicio, in sepe no-
minato Tractatu pag. 31.

APHO.

APHORISMUS III.

Calendarium Gregorianum seu Lilianum ob iustas causas politicas à Statibus Protestantium Romani Imperij fuit repudiatum.

en Jeus. S. I.
 Plurimas possem adducere causas & rationes recusati Calendarij Gregoriani, sed paucas tantum proferam: Prima causa est PERSONÆ CONSTITUENTIS INHABILITAS. Quisnam sit autor Calendarij hujus notum, videlicet Pontifex Romanus magnus ille Antichristus, qui eam sibi arrogat potestatem, quam nec jure divino, nec jure humano solidè confirmare potest, illis titulis vult decorari qui nulli in his terris mortalium competunt. Nam in Concilio Romano acclamarunt Julio Papæ: *Tues omnia, & supra omnia, omnis potestas tibi data est in caelo & in terra. & alius de Papa sic scribit: Papa a tribus est omnis potestas in regno Christi, Papa Rex Regum, & Princeps omnium. videatur Keinsing. de Regim. Secul. & Eccles. Lib. 1. Class. 2. cap. 3. Meisner. in disp. de Regim. Ecclesiasti. Schol. Acad. p. 263. 264. Willettus contr. quarta de Pontifice Romano à pag. 140. ad 159 & alij.* Cum igitur Calendarium hoc ab eo constitutum sit, qui quidem magnam potestatem sibi vendicat, sed jure hanc de tempore corrigendo absque cæterorum Imp. membrorum consensu non habet, merito & Status Imperij Calend. accipere recusarunt. Cognovit hoc Landgravius Hassiedum in Epistola quadam ad Palat. & Sax. Electores sic scribit. *Dann das man solte dem Bapst die Macht wiedergeben / seines aefallens die Festage in Ecclesia zu berendern / were viel / und demnach wol zu caviren, das man sich nicht per directum aut indirectum / weil dis Werck ex mandato Papæ hersteust / der Bapstlichen Gewalt hiedurch wiederumb subjiciren / zu dem auch authoritas Imperij alle wohl herunter in acht zu haben.* Hinc August. *Septemvir in Augustanis comitiis referente Thuano lib. 76. p. 122. col. 2. lit. (a) (b) de promulgatione hujus Calendarij*

B. 3.

darij



Calendarij ita loquitur: in hoc negotio Caesaris, & Sacri Imperij au-
toritatem & existimationem verti, quam cum indies Pontifex
dolis ac machinis convellere nitatur, non committendum esse, ut
ipsi rem ad ejus dignitatem atq; adeo majestatem tantopere
pertinentem neglexisse videantur. Et paulo post. Cavendum igitur
ne Calendarij, quod correctione indigere minimè inficias e-
at, emendandi prætextu novam & inusitam Pontifici in Impe-
rij majestatem, ac Cesare ipsam, jurisdictionem & mandandi po-
testatem tribuant, præsertim, cum in consilio Cesare, & non requi-
sita Imperij principum & ordinum consensu res tanta à Pontifi-
ce suscepta sit.

§. 2. *Secunda causa fuit MODUS PROMULGANDI IL-
LEGITIMUS*: ut enim ea quæ ad plures spectant, plurimo-
rum consensum requirunt, ita & hoc Calendarium. Cum con-
sensu totius Imperij proponendum fuisset. Verùm cum hoc
non factum sit, rectè fecerunt Protestantes, dum id tanquam
illegitimo modo promulgatum detrectarunt. Quod verò hoc
opus cum consensu membrorum Romani Imperij non ag-
gressum fuerit, probo, tum ex testimonio Augusti Electoris
Saxonix, qui referente Thuanò loco citato, ita loquitur: *Præ-
sertim cum in consilio Cesare & non requisito Imperij principum,
& ordinum consensu res tanta à Pontifice suscepta sit, tum ex
Epistola quadam Doct. Gail/citante Reinking/ita loquentis:
Wenn man etns durchausgehende gleichheit allenthalben im
Reich anrichten wolte / muß solches mit vorwissen vnd vermil-
ligung der Kayser: Majestät vnd Städte geschehen/ indeq; in
Camera conclusum, das der alte Calender in außbringung
der processen soll gebraucht werden. Huc etiã alludere videtur
Clariss. Schmidt. Præceptor meus honorandus in sua sapius
allegata Oratione ita dicens: *Deterruit eos modus promulgan-
di, Pontifex enim hanc emendationis rationem non expenden-
dam prius, & deliberandam Scatibus Imperij omnibus, imò ne præ-
cipuis quidem proposuit, sed statim ad comitia & quidem jam exe-
cutione, digressis jam Protestantium plerisque, per Cardinalem Ma-
drucium Episcopum Tridentinum, Augustam Vindellicorum ipse*
Impe-*

Imperatori Rudolpho IV. per mandatum servandum, & aliis in-
jungendam precepit. Nec curamus hic Clavius, qui in libris
suis de Calendario hinc inde protestatur, consultis per literas
totius orbis Christianis principibus rem susceptam, & à plu-
rimis & præcipuis Principibus magno applausu approbatam,
sed respondem eum *Herlicio* p. 119. Er nenne mir die Univerlite-
ten in Deutschland / Er nenne mir die fürnehmsten Theologos
vnd Mathematicos in Deutschland / mit welchen der Babst
hervon communicirt / vnd conferirt habe & pag. 120. Ob er
Wesphalen / Frankreich / Spanien / allein so tituliret (totius
orbis Christianos Principes) kan ich nicht wissen / das Deutsche
Reich gehöret ja auch dazu / &c.

Præterea Pontifex etiam in eo erravit, dum q. pro autoritate
Statibus Imperij imperat & mandat, ut recipiant, imò refractariis
indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apo-
stolorum minatur, patet hoc ex ipso Diplomate Pontificio ex
plurimis locis §. tollimus ita ait: Volumus, ut omnes Ecclesia-
rum Præsides novum Calendarium introducant, & eo solo utan-
tur, & deinceps, pro data nobis à Domino autoritate manda-
mus Statibus Imperij, ut nostrum hoc Calendarium ipsi suscipi-
ant, & à cunctis sibi subiectis populis religiose suscipiendum, in-
violatèq; observandum curent, & in fine: nulli hominum licitura
sit, hanc paginam nostram infringere vel ei ausu temerario con-
tra ire. Huc spectat iudicium illud Doctoris Oslandri in Be-
dencken von den Bapstlichen Calender pag. 42. Dieser Gre-
gorianischer Calender kömpt nicht von Römischen Keyser vnd
Ständen des Reichs her / sondern er kömpt her vom Bapst /
der hat ihn vnter seinen Nahmen publiciret, vnd wil ihn der
Christenheit auffbringen. & deinceps: Darumb wann wir
gleich sonst diesen Calender vor gut hielten / jedoch wann vns
ihn der Bapst auffbringen wil / sollen wir ihn hinwerffen.

Tertia causa fuit intentio Romani Pontificis. Non enim
hac sua constitutione Ecclesie & Romani Imperij commo-
dum quaesivit, non ut tempus emendaret, sed (ut hoc modo
paulatim

paucatim Romani Imperij potestatem diminueret, ad suamq; iurisdictionem traheret. (2) Ut sibi falso attributam potentiam & primatum confirmaret, ut hanc intentionem Pontificis Romani exprimit Heerbrand. in disp. de hac Materia Thes. 152. Subdole per cuniculos quasi Romanus Pontifex irrepere, regniq; sui pomeria proferre conatur, potestatem sibi arrogans mandandi, cujus statuta sint agnosenda ab omnibus. Quicumq; ergo Calendarium ipsius suscipiunt, illi cum pro suo Domino agnoscere videntur, & paulò post, Praludium, hoc est, quo tentare animos Germanorum fraudulenter instiguit, num ad pristinam servitutem eos retrahere posset. His igitur tanquam primarijs causis politicis à personæ constituentis inhabilitate, & intentione, nec non promulgandi modo illegitimo desumptis concludimus, Calendarium hoc legitime fuisse rejectum. Vide præter citatos Reinling, Heerbrand. D. Lucam Osiandrum. Syring de Pace Religionis. concl. 32. Crani. de pace Religionis part. 1. prob. 6. Limn. de jur. publ. l. 1. cap. 13. num. 57. Stephan. de jurisd. l. 3 part. 1. c. 3. n. 42.

Controversiæ.

1. Numerus non est quantitas continua. Contra Stevinum l. 2. def. 2. Arith. Gall.
2. Galaxia non est meteoron, ut Aristoteles, non compages duorum Hemispheriorum, ut Theophrastus voluit, sed congeries minutissimarum stellarum.
3. Orbes & circuli realiter in cælo non existunt.
4. Hypotheses Tyconica Ptolemaicis & Copernicæ merito præferuntur.
5. Ut non fuit stella naturalis, quæ magis apparuit: ita nec naturalis fuit Eclypsis, tempore mortis Christi contingens.
6. Macule in luna non à representatione montium oriuntur, sed aliam causam agnoscunt.

FINIS.









94 A 7341


ULB Halle

3

004 145 968







Disquisitio Mathematica
De
**CALENDARIO GRE-
GORIANO,**

Ob justas causas à Statibus Protest. Rom.
Imp. repudiato.
Nonnullisque controversijs Mathematicis.

Quam

DEO Duce, ac Præside
Viro Excellentiss. & Clarissimo,

M. CHRISTOPHORO NOTTNAGELIO,
Mathem. Superior. Profess. Publ.
Præceptore ac Promotore suo
semper colendo.

*Proponit ad diem 2. Martij
in Auditor. Major. horis matutinis.*

HENRICUS ENGENHAGEN
Lubecensis.

WITTEBERGÆ,
Typis AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.
Anno MDCXXXVII.